Sigismundus Dei gratia Rex polonie Magnus dux
Lituanie, Russie prussieq[ue] et[c]. dominus et heres, Significamus tenore presentium vniuersis, Quia
nos annuentes supplicationibus quorundam consiliariorum nostrorum, pro venerabili et nobilibus,
Nicolao Canonico plocen[si], petro, Joanne et Stanislao, fratribus germanis dictis gamrathowie, te-
nutarijs ville nostre Mrocowa in districtu byecen site, nobis factis volentesq[ue] illos ad seruitia
Reipublice et nostra facere propensiores et obligatiores, ipsis exigente eorum necessitate, predictam
villam nostram tenute ipsorum, inscribere et obligare Generoso petro odnowski succamerario Leopolien[si]
in summa pecuniaria in prefata villa nostra iuste ac legittime inscripta consensimus et admisimus,
citra tamen augmentum et excessum eius, consentimusq[ue] et admittimus presentibus, per ipsum
petrum odnowski et successores ipsius legittimos dictam villam nostram Mrocowa cum omni
iure, dominio et proprietate ab s[e] iuxta vim ac tenorem litterarum originalium desuper confe-
ctarum et emanatarum tenendam, habendam, vtifruen[dam], pacificeq[ue] et quiete possidendam, tandiu
donec eidem petro, uel eius successoribus, summa pecuniaria, in ipsa villa nostra iuste ut prefertur
inscripta, per nos, aut nostros, vel ipsos fratres, Nicolaum Canonicum plocen[sem], petrum, Joannem
ac Stanislaum, siue ipsorum successores legittimos, fuerit integre persoluta, Quo facto eiusdem
ville nostre possessio redibit et deuoluetur ad nos, uel nostros, aut prefatos fratres, seu eorum
successores legittimos, pleno iure, Juribus nostris Regalibus saluis permanentibus, harum
quibus sigillum nostrum est appensum testimonio litterarum, datum Cracouie ipso die diuisionis
Apostolorum Anno domini Millesimo quingentesimo decimo octauo Regni nostri duodecimo

petrus Ep[iscop]us et
vicecancell[arius] s[ub]s[cripsit]

R[elatio] R[everendi] in christo patris d[omi]ni petri
Ep[iscop]i premislien[sis] et R[egni] p[oloniae] vicecancellarij